

essentiam non ingredi. Sed clariora sunt, quæ sequuntur ex Damasceno lib. 1. de fide c. 4. *Si bonum, si justum, si sapiens, si quidvis aliud, dixeris, non naturam dicis Dei, sed ea, quæ sunt circa naturam.*

**Probatur II. Rationibus.** I. Per constitutum divinæ essentia non solum debet Deus distingui ab omni ente creato, sed etiam a propriis perfectionibus increatis, sed non primariis; hoc non esset, si consisteret in cumulo omnium attributorum Dei: ergo in hoc non consistit. Major est certa ex conceptu ipso constitutivi divinæ essentia; minor est clara; aliter divina attributa a se ipsis distinguerentur. II. Non est essentia Dei, quod in Deo post aliud concipitur, & fluit ex alio; sic sunt attributa Dei: ergo neque collecta in cumulo sunt constitutum divinæ essentia. Major patet, quia essentia est illud primum, quod concipitur in re, & ex quo cætera alia promanant: Minor probatur: Illud non concipitur primo in aliqua re, quod ex Logicis prædicatur in quale; sic sunt attributa Dei: ergo non sunt illud primum, quod concipitur in Deo; ac per consequens sunt quod in Deo post aliud concipitur, & fluit ex alio. Major ultimi argumenti ex Logicis est patens, quia prius est quid rei, quam quale rei: Major etiam est manifesta, quia per attributa Dei non dicitur quid, sed qualis sit Deus. III. Ex prædicatis, quæ in Deo sunt, aliquod unum est assignabile adeo excellens, ut, cum fundamento in re, tanquam radix, & origo, perfectionum omnium, quæ sunt in Deo, concipi possit: ergo in hoc erit Dei essentia reponenda, & non in omnium attributorum cumulo, & collectione. Antecedens patebit ex dicendis infra; consequentia sequitur.

**Arguunt Doctores, hanc primam opinionem propugnantes, I. Ex SS. Patribus, quorum non pauci asserunt, idem esse attributa, ac essentiam Dei. Sufficiat pro omnibus Hieronymus ep. 148. ad Marcellam: Divina natura, & Dei sermo, in partes secari non potest, nec locis dividi; sed cum ubique sit, totus ubique est. Totus igitur Deus constituit divinam naturam: ergo vere divina natura, seu essentia, in collectione omnium attributorum Dei consistit. II. Rationibus; Deus est ens, quo nihil melius excogitari potest; sed hæc definitio verificari nequit, nisi essentia divina in omnium attributorum collectione constituatur: ergo vere per hanc collectionem constituitur. III. Si essentia divina non involvit omnia attributa, attributa erunt præter essentiam;**

ergo erunt accidentia: atqui non possunt esse in Deo accidentia: ergo vere attributa omnia Dei essentiam ingrediuntur.

**Respondemus ad I. SS. Patres intelligendos esse de essentia physica, non vero metaphysica; & revera essentia physica Dei consistit in omnium attributorum Dei collectione, ut diximus. Immo sunt Theologi, & præcipue Cacheranus, qui probant, ex hoc, non posse consistere essentiam Dei metaphysicam in collectione attributorum, quia hæc collectio essentiam Dei physicam constituit; quum diversificari debeat in Deo, ut ipse ait, essentia physica a metaphysica, & Deus formaliter sumptus a se ipso sumpto materialiter. S. Hieronymus dicitur, quod, vel loquitur de natura Dei physice sumpta; vel potius, quod de Dei immensitate disserit; ut ex eisdem verbis attentius consideratis innotescit. Ad II. concedimus majorem, & negamus minorem propositionem; illud enim attributum peculiare cætera attributa contineret, non formaliter, sed radicaliter, & hoc sufficeret, ut per ipsum definiti possit Deus, quo nihil melius excogitari potest. Ad III. Distinguiamus consequens; erunt præter essentiam physicam, negamus; præter essentiam metaphysicam, concedimus; sicque accidentia non erunt.**

**Dicimus II. In Aseitate, seu Independentia, metaphysicum divinæ essentia constitutum non consistere. Probatur I. Essentia nequit in relativo consistere, sed debet in prædicato absoluto consistere; sed si in aseitate poneretur, consisteret in relativo: ergo nequit consistere in aseitate. Probatur minor. Aseitas dicit negationem dependentia; sed semper remanet investigandum absolutum illud hujus relativi independentis: ergo per aseitatem non explicatur absolutum, sed relativum tantum. II. Nequit essentia consistere in formali negatione; sed sic esset essentia divina, si consisteret in aseitate: ergo in aseitate non consistit. Probatur minor. Consisteret in negatione dependentia; ergo consisteret in formali negatione. Et quanvis dicatur, hoc negativum vocetenus tantummodo esse negativum, propter vocabulorum penuriam, positivum nihilominus importare; seu melius, explicari per negativum, quanvis ipsum re vera sit positivum: Per hoc tamen argumenti vis non retrahitur; formaliter enim aseitas dicit non abaseitatem: ergo formaliter dicit negationem. Immo potius e contra videtur, quod res se habeat, ac Adversarii respondent; etsi enim sit**